

salvos faciat eos qui perierāt, quis dubitat illum te quoque quæsiturum & salvaturum, qui sis de numero perditorū? Similiter *Act. 17.* dicitur annuntiasse Deum hominibus, ut omnes agant pœnitentiã, eo quod statuit diem in quo iudicaturus est orbem in æquitate.

Cujus argumenti consolatione pleni ea vis est & sententia: Christus iudicaturus est orbem terræ, quocirca jubet Deus omnes pœnitentiam agere, ut effugiant tremendum iudicium & condemnationē sempiternam. Nec

aliter *B. Pet. 2. Ep. 3.* *Deus non vult perire aliquos, sed omnes ad pœnitentiam reverti.*

Quę dicta sane evidenter universalem Dei prædestinationem & gratiam erga te arguunt. Qua fiducia fretus Manasses peccator maximus orat: *Tu Domine secundum multitudinem bonitatis tuæ promissisti pœnitentiam & remissionem non ijs qui tibi non peccaverunt, sed peccatoribus in salutem.* Quem proinde mihi tu imitari aude. Nam Deus istiusmodi exemplis voluit facere contestatum, se pœnitentiam pro peccatis paratum acceptare. SECUNDUM fundamentum est jusjurandum, quo summus Deus, ne quis dubitandi de ipso locus relinqueretur,

*Conclusio
plena
consolatione.*